

TRIBUNAL SUPRÊME DE LA SIGNATURE APOSTOLIQUE¹

*Prot. n. 53693/18 CA – N. – Translationis
(Rev.dus D.nus X – Congregatio pro Clericis)*

SENTENTIA DEFINITIVA

- [1] IN NOMINE DOMINI. AMEN.
FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno VII, die 8 octobris 2019, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, Praefecto, Zenone Card. Grochowski, Raimundo Leone Card. Burke, atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Stanislao Zvolenský et Francisco Daneels, O. Praem., Ponente, atque intervenientibus, Cl.ma Martha Wegan, utpote Recurrentis Patrona, Cl.mo Andrea Errera, tamquam Patrono Congregationis pro Clericis, atque Rev.do D.no Mario Leite de Oliveira, Promotore Iustitiae Deputato, hanc definitivam tulit sententiam.

FACTI SPECIES

- [2] Rev.dus D.nus X, archidioecesi N incardinatus, die 1 iunii 2007, tempore ad quod haud statuto, parochus nominatus est paroeciae Y in civitate N.

Infirmittatis causa a mense iunio 2016 a munere parochi exercendo sese abstinerere debuit, quam ob rem Exc.mus Archiepiscopus administratorem paroecialem nominavit. Die vero 1 septembris 2016 Rev.dus X, documento medico allato, eundem Exc.mum Praesulem certiore fecit se denuo munus parochi implere posse et se in altera eiusdem mensis parte officium resumere velle.

- [3] Idem vero Exc.mus Archiepiscopus, normis cann. 153, § 1, necnon 1748-1752 prorsus neglectis, duo tulit decreta, alterum quo praefatum administratorem paroecialem parochum paroeciae Y, quae non erat vacans, a die 15 septembris 2016 nominavit, et alterum diei 15 septembris 2016 quo Rev.dum X vicarium paroecialem constituit paroeciae W in pago v.d. Q, mentione facta de eius translatione a paroecia Y ad illud novum munus.
- [4] Narrat Rev.dus X se die 15 septembris 2016 mane ab Exc.mo Archiepiscopo de novo parochus audivisse, dein decretum nominationis novi parochi recepisse sed decretum de sua praesumpta amotione frustra petiisse, et tandem vespere eiusdem diei petitionem scriptam eidem Exc.mo Praesuli tradidisse, qua revocatio vel suspensio praesumptae amotionis et nominationis novi parochi Y petebatur, animadverso quod secus recursus hierarchicus institueretur. Pergit Rev.dus Recurrens Exc.mum Archiepiscopum, cum non ageretur de amotione, recusavisse “a dar o aceite”.

¹ Sentence et traduction publiées avec l'autorisation du TSSA. — Trad. fr. : Emmanuel Vaillant. — La numérotation marginale des paragraphes (entre crochets) a été ajoutée par la rédaction.

Exc.mus Archiepiscopus in relatione literis diei 18 februarii 2018 Congregationi oblata nihil dicit de modo quo Rev.dus Vir de re certior factus est, eo vel minus de intimatione decreti translationis legitime peracta, sed tantum narrat Rev.dum X mane diei 16 septembris 2016 valde iratum ad eum venisse cum recurso hierarchico, quapropter ipse silere maluit. Dictus recursus hierarchicus esse non potest nisi petitio revocationis, de qua supra, in qua de recurso hierarchico instituendo fiebat sermo; re quidem vera hucusque non habebatur alia scriptura a Rev.do X exarata.

- [5] Attamen, die 17 septembris 2016 Rev.dus X per cursum electronicum ab Exc.mo Archiepiscopo veniam petiit ob gravem irreverentiam erga eum habitam, instans ut litteras exhibitas destrueret et pro nihilo haberet, gratiam imploravit ut per celebrationem SS.mae Eucharistiae in paroecia Y eidem valedicere posset, et sese paratum declaravit ad dialogum, quando Exc.mus Praesul novum eius munus et tempus opportunum ad id obeundum definiturus esset. Exc.mus Archiepiscopus eius scripturam electronicam grato animo recepit.

- [6] Narrat quoque Rev.dus X se die 13 octobris 2016 per manus oeconomii dioecesanii decretum translationis obtinuisse.

Amare tulit absentiam colloqui cum suo Exc.mo Antistite et die 16 octobris recursum hierarchicum Congregationi pro Clericis porrexit adversus amotionem et nominationem novi parochi, censens inutiliter transactum esse terminum triginta dierum a remonstratione exhibita (cf. cann. 1735 et 1737, § 2).

- [7] Rev.dus Vir, instante Exc.mo Archiepiscopo penes novum parochum, SS.mam Eucharistiam in paroecia a qua celebrare poterat, sed iuxta Exc.mum Praesulem sese hac occasione auctoritati archidioecesanae infestum habuit. Non indicatur vero in actis dies huius celebrationis.
- [8] Idem Rev.dus Vir exeunte mense ianuarii 2017 novum munus aliquo modo suscepit. Uti videtur revalescentia mense septembri nondum plena erat.
- [9] Rev.do X pluries instante et Exc.mo Archiepiscopo bis audito, Congregatio tandem aliquando die 5 aprilis 2018 recursum reiecit, cum non constaret de petitione revocationis decreti Exc.mi Archiepiscopi ad rem, cumque recursus hierarchicus exhibitus non esset intra terminum peremptorium, de quo in cann. 1737, § 2, et 1735.
- [10] Quam adversus decisionem Rev.dus X die 3 maii 2018 ad H.S.T. provocavit, quod ei dein exemptionem ab expensis processualibus una cum gratuito patrocinio concessit.

- [11] Recursu in Congressu diei 18 decembris 2018 ad disceptationem admissio atque omnibus peragendis rite peractis, nunc Nobis de hoc dubio videndum est :
- [12] An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 5 aprilis 2018 latum ?

IN IURE ET IN FACTO

Quaedam praenotanda

- [13] Congregatio pro Clericis non egit de merito, sed recursum reiecit ob praeliminaria non adimpleta, seu ob omissam remonstrationem ad rem (cf. can. 1734) et ob non observatum terminum peremptorium de quo in cann. 1737, § 2 et 1735. Asserta illegitimitas huius decisionis itaque est unicum obiectum examinandum, sed sedula distinctio facienda est inter ipsam Congregationis decisionem, scilicet recursus in limine reiectionem, et rationes motivas ab ea adductas.

De petitione revocationis decisionis ab eius auctore

- [14] Recitat can. 1734, § 1 : "Antequam quis recursum proponat, debet decreti revocationem vel emendationem scripto ab ipsius auctore petere...", et § 2 adiungit : "Petitio fieri debet intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto legitime intimato".

Decretum quo Rev.di X translatio ab officio parochi ad munus vicarii paroecclesialis decernitur, datum dicitur die 15 septembris 2016. Petitio eius vespere eiusdem diei vel mane sequentis diei exhibita itaque minime respicit merum actum praeivium vel decisionem nondum latam, seu actus quos contra non datur recursus.

- [15] Petitio, de qua in can. 1734, § 1, iuxta eius § 2 exhibenda est intra peremptorium terminum a decreto legitime intimato. Cum Rev.dus X asserat se ipsum decretum translationis tantum die 13 octobris 2016 recepisse, videretur prima facie eius petitionem diei 15 septembris 2016 non valuisse. Codex autem Iuris Canonici supponit Superiores ecclesiasticos ad normam iuris agere, sed inde excludi nequit possibilitas recurrendi adversus decisionem quae, neglecta intimatione ad normam iuris peracta, tantum ore vel facto cognoscitur. Prorsus absona esset possibilitas recurrendi adversus decisionem legitime intimatam et impossibilitas recurrendi adversus decisionem haudquaquam legitime intimatam. Constans H.S.T. iurisprudencia proinde plane agnoscit facultatem saltem ad cautelam recurrendi ab eo cuius interest adversus decisionem latam et sive per meram communicationem oralem sive per actus facto positos cognitam, etsi nondum ad normam legis intimatam.

Tenet decretum in Congressu diei 4 maii 2018, prot. n. 53156/17 CA, latum, adversus assertum “iuxta quod littera can. 1734 ‘a decreto legitime intimato’ praevalet principio ‘a die qua recurrens ad normam iuris de decisione novit’”, quod e contrario “hocce novissimum principium praescribitur in art. 105, § 1 Normarum Specialium, quibus haec Signatura Apostolica ab origine contentiosi administrativi, anno scilicet 1968, recta est, atque communem H.S.T. iurisprudentiam de terminis supputandis constituit sive post Codicem anno 1983 promulgatum sive post Legem propriam anno 200[8] promulgatam usque in hodiernos dies”. Quae cum ita sint, petitio a Rev.do X die 15 septembris 2016 oblata illegitima haberi non potest utpote ante decretum legitime intimatum porrecta.

- [16] Rev.di autem X remonstratio diei 15 septembris 2016 statim ab Exc.mo Archiepiscopo oretenus reiecta videtur quatenus amotionem ab officio parochi et haudquaquam eius translationem ad aliud officium respiciebat. Videtur quoque Congregatio pro Clericis hanc ob rem de defectu petitionis de qua in can. 1734, § 1, egisse. Quod nimium formalismum vel nominalismum in casu sapit. Rev.dus X utique revocationem suae praesumptae amotionis seu destitutionis ab officio parochi una cum revocatione nominationis novi parochi petiit, sed nondum intimato decreto translationis mirandum non est de erronea amotionis mentione, eo vel magis quod reapse agebatur de amissione officii parochi.

Scripta habebatur eius petitio ut revocaretur decisio ipsum respiciens, quod satis est ad normam can. 1734, § 1 implendam.

- [17] Concludendum ergo est Congregationem inepte asserere Rev.di X diei 15 septembris 2016 petitionem non fuisse ad normam can. 1734, § 1 porrectam.

De hac petitione revocata

- [18] At die 17 septembris 2016 Rev.dus X hanc petitionem clare revocavit, scribens ad Exc.mum Archiepiscopum : “A carta que lhe entreguei falando de recurso hierárquico, por favor, rasgue e jogue fora” (italice : “La lettera che ho consegnato a Lei, parlando di ricorso gerarchico, per favore stracciala e buttala via”). Unae eius litterae quae tunc iam habebantur sunt petitio scripta diei 15 septembris 2016, qua petierat revocationem vel suspensionem suae praesumptae amotionis et nominationis novi parochi, mentione facta de recursu hierarchico secus instituendo. Evidenter, ceterum, patet ex petitione, ut per celebrationem SS.mae Eucharistiae paroeciae a qua valedicere posset, Rev.dum X tunc accepisse amissionem officii parochi in ea et nominationem novi parochi ibidem.
- [19] Assertit utique Rev.dus Vir se id non libere, sed coacte fecisse, at vero nullo modo coactionem probat et ei onus incumbit probandi.

Contendit quoque eius Cl.ma Patrona hanc scripturam electronicam ad documenta causae non pertinere, quam contra assertionem tenendum est eam non solum ab Exc.mo Praesule, verum etiam ab ipso Rev.do X productam esse.

- [20] Forsitan dicatur epistolam electronicam non subscriptam imparem fuisse ad remonstrationem revocandam. Docet autem Rev.mus G.P. Montini quod, attenta H. S. T. iurisprudencia, "la rimostranza : - può essere presentata anche via telegramma, fax ed e-mail ; - non necessariamente deve essere sottoscritta, purché l'origine sia chiara..." (De recursibus hierarchicis, Romae 2018⁴, 42). Non intellegitur proinde cur epistola electronica non subscripta eam revocare non possit, quamquam utique formalem epistolam subscriptam ad rem exhibere magis convenit.

- [21] Forsitan teneatur illam revocationem a Rev.do Recurrente tantum factam esse sub condicione ut dein par officium obtineret, nam certior factus de nominatione ad officium vicarii paroecialis in recursu hierarchico diei 15 octobris 2016 remonstrationem diei 15 septembris 2016 denuo valere voluit : "volto atrás da decisão de não impetrar recurso hierárquico, pois vejo que meu pedido de perdão não foi aceito". Si et quatenus agatur de condicione, potius videtur agi de condicione hypothetica ("si scivisset"), quae nihil operatur. Epistola, ceterum, electronica non continet ullam clausulam, qua vera condicio ponitur.

- [22] Forsitan contendatur revocationem remonstrationis invalidam fuisse ob substantialem ignorantiam veri obiecti contentions, eo quod Rev.do X nondum nota erat translatio ad officium vicarii paroecialis. Sed si res ita se habeat, quid tunc dicendum de ipsa remonstratione, quam Congregatio pro Clericis defecisse tenet, quoniam adversus amotionem et non contra translationem exhibita erat ?

- [23] Rebus sic stantibus, petitio revocationis de qua in can. 1734, § 1, die 15 septembris exhibita a die 17 septembris 2016 utpote cessata habenda videtur. Quo fit ut ab illa die de remonstrationis defectu fieri possit sermo.

**De termino de quo
in can. 1737, § 2 et 1735**

- [24] Rev.dus X die 16 octobris recursum hierarchicum Congregationi pro Clericis porrexit, censens inutiliter transactum esse terminum triginta dierum a remonstratione exhibita (cf. cann. 1735 et 1737, § 2). Animadvertendum est illum recursum, post decretum translationis notificatum, adhuc proponere uti eius obiectum tam amotionem ab officio parochi quam nominationem novi parochi, non autem, saltem directe, ipsam translationem.
- [25] Recitat can. 1737, § 2 de recursu hierarchico : "Recursum proponendus est intra terminum peremptorium terminum quindecim dierum utilium, qui in casibus de quibus in can. 1734, § 3 decurrunt ex die quo decretum intimatum est, in ceteris autem casibus decurrunt ad normam can. 1735".

Animadverso quod in re Rev.dum X respiciente non agitur de casu, de quo in can. 1734, § 3, videndus est can. 1735 : "Si intra triginta dies, ex quo petitio, de qua in can. 1734, ad auctorem decreti pervenit, is novum decretum intimet, quo vel prius emendet vel petitionem reiciendam esse decernat, termini ad recurrendum decurrunt ex novi decreti intimatione ; si autem intra triginta dies nihil decernat, termini decurrunt ex tricesimo die". Quae ultima determinatio auctoritatis obligationem praesupponit petitioni, de qua in can. 1734, sine nimia mora per novum decretum respondendi (cf. can. 57, § 1), adeo ut, auctoritate competenti obligationem respondendi non adimplente atque termino statuto frustra elapso, responsum praesumatur negativum, ad propositionem ulterioris recursus quod attinet (cf. can. 57 § 2). Nostro vero in casu praesuppositum, quo praescriptum can. 1735 regitur, seu obligatio respondendi inde a revocatione petitionis, de qua in can. 1734, prorsus defecit.

- [26] Quam ob rem Rev.dus X post revocatam remonstrationem inepte censebat se, invocato praescripto can. 1737 coll. cum can. 1735, adhuc facultate gaudere legitime ad Congregationem pro Clericis provocandi. Quapropter Congregatio in recursu in limine reiciendo legem non violavit.

Adnotatio

- [27] Reiecto recursu utpote non ad normam iuris proposito, Congregatio pro Clericis adhuc proprio Marte seu ex officio de merito denuntiationis videre poterat. Id autem non fecit. Agitur vero de re quae pertinet ad eius discretionem, de qua huius Signaturae Apostolicae non est videre.

CONCLUSIO

- [28] Omnibus in iure et in facto aequè rimatis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque facto respondent :

- [29] Non constare de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 5 aprilis 2018 latum.

Cl.mae Rev.di Recurrentis Patronae ex officio ex arca H.S.T. et Cl.mo Congregationis pro Clericis Patrono ab eadem congruum solvatur emolumentum.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 8 octobris 2019.